



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

§. 9. Schaffgotius & Gratzius capite plexi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

magis secundo Marte pugnabant Cæsareis. XVII. A.C. 1635.  
 sarei, in Hassia tamen apud Eschwegam cæli, Hirschfeldam sese recipere cogebantur. Demum Saxonix Elector Suecis ex Saxenhusio & Havelberga ejectis, Kniphusium Suecum Belliducem ingenti clade protrivit, & pleraque Magdeburgensis, & Halberstadiensis ditionis præsidia occupavit, Baudilius tamen Saxo, dum Domitium infligere propugnaculum pene ad deditionem compulerat, exorto incendio retrocedere compulsus, a Bannerio Sueco post atrox prælium fusus fugatusque est, cæsis suorum mille, totidem captis, ceteris vero dispersis. Ita hoc anno belli fortuna Cæsareis æque ac Suecis nunc prospera nunc adversa, neutri tamen constans, aut diuturna, cujuslibet autem subditis funesta extitit.

## §. IX.

*Schaffgotsius & Gratzius capite plexi.*

Interim in Fridlandicæ conjurationis reos, quos Cæsar a Pragensis amnestiæ beneficio speciatim excludendos censuit, severa Viennæ habebatur inquisitio, ac præprimis Joannes Udalicus Comes Schaffgotsius, qui Fridlandi jussu Silesiam subigere, populumque in

C 3

factio-



Sæc. XVII. factionis partes pertrahere satagebat, A. C. 1635. captus, Ratisbonam deducebatur, ubi instructis iudicii actis eidem prælecta fuere accusationis capita, ad quæ intra quatuordecim dies vel per se, vel per sibi concessos Caussidicos responderet; cum vero conjurationis evidentia nullam criminis excusationem admitteret, die decima tertia Julii, dicta causa damnatus est, atque in ferale pegmate publice capite plexus, in sua lecta immortalis obiit. Julius vero Lauenburgicus Dux declinato hoc tribunali, eo quod Imperii Princeps esset, Ratisbona Viennam mittebatur, ibidem causam dicturus: paulo post tamen Cæsar non modo hunc, sed etiam Franciscum Albertum itidem Lauenburgicum Ducem libertati restituit: Sparrius quoque ad Poloni Regis preces libertatis vitæque gratiam obtinuit: Mohrus autem Waldtus Ordinis Teutonici Eques ob Ecclesiasticæ immunitatis prærogativam ad Ordinis sui Tribunal remissus est; ceteri autem Wallensteinianæ conjurationis complices aut proscripti, aut in Hungariæ fines abducti perpetuis mancipati sunt carceribus: Joannes vero Philippus Cratzius Comes Scharpfensteinii Viennæ in Civitatis Curia clam securi percussus est. Hic quidem Fridlandicæ perduellionis nullo pacto

con-



conscijs erat, dudum tamen clande-  
 stini cum Cæsaris hostibus commercii  
 reus postulabatur; cum enim a Maxi-  
 miliano Bavaricæ Electore Ingolstadiensi  
 propugnaculo Præfectus imponeretur,  
 & tubicinis a Cratzio emissi perfidia  
 Sueci inopino Ingolstadium interciperent,  
 tentarent, quin ipse de periculo admo-  
 nitus, sese e strato movisset, imo &  
 portam hostili invasioni percommo-  
 dam aperiri iussisset, exinde haud obscuri  
 de clandestina cum hoste collusione ru-  
 mores per Urbem spargebantur: inde  
 vero offensus Cratzius datis ad Maxi-  
 milianum literis suam postulabat missio-  
 nem: quarta autem post die, nequi-  
 dem expectato responso, die vigesima  
 nona Maij Ratisbonam contendit, ci-  
 tatisque equis in Bohemiam, indeque  
 ad hostem sese recepit: postea vero in  
 Nördlingano prælio captus, Viennam  
 deducebatur, ubi ipso Polono Rege in-  
 cassum pro eo deprecante, condemna-  
 tus est, ut amputata dextera capite  
 plecteretur: Cæsaris tamen clementia  
 primum supplicii genus remittente, fe-  
 ralem ictum die sexta Julii tandem ex-  
 cepit, luctuosa inconstantiae victima.

## §. X.

*Gallica expeditio adversus Hispanos.*

C 4

Post-